CLARISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO DOMINO D.
IACOBO VIGNIER EQVITI NOBILISSIMO ET SACRI CONSISTORII CONSILIARIO, &c.

ANTHONIVS ROBIN, ὑγιαίνειν καὶ εὐτυχεῖν.

QVI nouum orbem peragraturus vasto ac procelloso se credit Occeano, peritum, vigilem, ac prudentem sibi gubernatorem eligat necesse est; qui belli sortem explorare decreuit, similem ducem; nisi vter-
que temeritatis suæ statim in ipsis rerum rudimentis pœnas luere velit. Salebrosum & arduum iter aggredior (vir Amplissime) nec vllus scit, nisi qui iam periculum fecit; stadium iam annis elapsis in
lycæo hoc medico totius orbis augustissimo peregi; nec tamen adhuc meæ vires ita confirmatæ sunt vt Doctissimorum virorum insultus hodiernâ die intrepidæ sustinere valeant. Mecœnate igitur mi-
hi opus est, sub cuius patrocinio tutus in medium prodeam. Cui me crederem nesciebam, paucis hîc notus, & tamen quò hæc alea honoris mei periculosior erat, eò firmiori pedamento innitendum mihi
esse iudicaui; in te vnum (Regis Consiliarie consultissime) oculos conieci; suggessit AugustumVignerij nomen communis vtriusq; parens Burgundia; famæ tuæ ac virtutis splendor, quo inter sapien-
tes fulges, inter Regios secretioris Consilij ministros micas, impulit. Narrant rerum naturalium diligentissimi exploratores in citeriore Germania intrà Danubium vites emergere, quæ clauiculos
& plerúmque folia ex puro auro candicantia ferant, à Regibus & summis ducibus in maximo precio habita: sed nec id mirum; habet & Burgundia nostra similes vites: Vignerij nomen circumspice Fulgose aut
tu quisquis es huius portenti enarrator, annon hæc vinea est cuius folia & rami ex puro auro candicant? quam Christianissimi Reges nostri successiuè demirati, in secretiori cubiculo ad suos Reipublicæque vsus
asseruarunt; si peritiam eius in rebus arduis ac difficillimis spectes; si prudentiam in consiliis, ac in exequendis vigilantiam, virtutes planè aureas; ramum illum venerabere ijsdem immò & excellentioribus dotibus præ-
ditum eo, quem in luco Cumano exortum finxit Poëta φιλοσοφώτατος; Quo auulso iam surget & alter aureus, Et simili frondescet virga metallo. *Et hæc quoque ratio Serenissimum Regiæ prosapiæ πρω-*
τάρχοντα ità impulit, vt Vignerium ipsum fidum curarum suarum depositarium elegerit, rebúsque suis ac œconomiæ suæ præfecerit. Patere ergò per tuam oro te comitatem, patere me (vir ornatissime) sub vitis illius
tuæ verè aureæ vexillo congredi, eiusque illice succo obsirmari. O quas ego te duce vel fautore pugnabo pugnas? Non me omnibus armis, omnibus instructa castris imperitia deijciat, vincam si hoc abs te euinco; & meæ
quidem erunt pugnæ, mei sudores; tibi verò laureas Apollineas, si quas feram, feram acceptas. Vale.

QVÆSTIO MEDICA.

597.

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. FEB.

M. FRANCISCO MANDAT, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Adultiori virgini δυσκύημα?

NAtura æternitatis auida, honestis animantium partibus exquisitum titillationis sensum inseuit; hinc admirabile congressus desiderium, amabi-
lis maris & fœminæ amplexus, quo semen ἄψυχον spirituum vbertate turgidũ κατ' ἕξιν καὶ ὁμορροθεῖ: tùnc animal cõcupiscentiæ particeps vterus ore
interno virile attrahit, attractum recondit, fœmineo ignobiliori permiscet, & vtriúsque sopitam facultatem tacitâ proprietate suscitat; eius actio
conceptio est, quæ viuifici caloris, ac vndique oberrantium spirituum ope perficitur; ancipiti quidèm temporis interuallo, menstruorum du-
rationi nullâ ratione analogo, sæpiùs die septimo, quem ἐκκρίσεως vltimum terminum cõstituimus: conceptum sequitur conformatio, cui mate-
riam præstant vtrúmque semen, & maternus sanguis virulentæ expers qualitatis: illud imminentibus menstruis, vel etiam desinentibus receptũ
vtero, desideratam concipiendi πρόφασιν pollicetur, hic delineatis solidarũ partiũ filamentis, ad absolutam viscerum generationem concurrit.

ILla concipiendi potentia elucet occultis mensibus, qui præmaturâ eruptione breuem, tardâ longiorem vitam portendunt; horum quamuis in-
certa sit ætas, nec stata periodus, plerúmque tamen anno decimo quarto exitum tentant, decrescente lunâ renouantur. Cæterùm vt menstrui
sanguinis (cuius in vtero fœtus ἕλκει τὸ γλυκύτατον) & lactis eadẽ est materia, ijdem cõmunes ductus, vtriq; gignẽdo eadẽ victus ratio, eadẽ medica-
mẽta prosunt; sic grauidis & nutricibus, quamuis nõ omnibus, supprimuntur mẽses; qui corpulentis & naturâ obæsis pauciores, alijs si κατ' αὐτὰ
effluunt corpus excrementis repurgant, vndè functionum integritas; si immodicè qualitatis aut quantitatis vitio, meatuum laxitate, retentricis
imbecillitate, ciborum pariũt cruditatem, ἀνορεξίαν, fœdum faciei colorem, à quibus progressu temporis pedum tumores œdematosi, ὕδρωψ, totius
corporis atrophia.

AT virginibus nimiâ copiâ, aut paucitate, crassitie, & vasorum angustiâ retenti, periculosam sæpè pariunt venarum ἔμφραξιν, cuius comes putredo
amatorias accendit febres, formosis ἀνδρουμέναις frequẽtiores, etiã grauiores: interdùm ἀθρόως ruunt in vterum, tùnc tetris immissis vaporibus
malaciam inuehunt, vomitum, horrorem inæqualem, dysuriã, aut factâ ἀνόδῳ hepar ita distendunt, vt suffocationis metum adferant; cor viuifici
nectaris alterũ fontem quantitate opprimunt, vndè eius παλμὸς καὶ μώρωσις; translatâ ad cerebrum materiâ cephalalgia, delirium, melancholici fu-
rores, metus, tristitia, aliáque deprauatæ imaginationis symptomata, quibus confert reuocata mensium suppressio vtráque vacuatione, cathar-
si, & venæ sectione ex malleolo vel cubito: semen vt sanguine præstantius ita suppressum grauiora adfert, hinc enim tot epilepsiæ monstra, apo-
plexia, terrores, vteri subuersio, cõuulsiones, syncope, & similia hysterica pathemata virginibus adultis ἐν περὶ σφοδρὰ, quorũ varietatem iuuat vteri
cum reliquis partibus sympathia.

ADultiori virgini familiaris est vteri durities, à quâ benigni vtriúsque excrementi ἀμετρία difficilis conceptus germana soboles; etiàm sterilitatis,
quam ex mulieris voce venaberis crassâ, raucâ, & asperâ, pilis hirsutioribus nigris, strictâ aluo, vitiatâ mensium fluxione; probabis suffitu &
aromatum anathymiasi, certiùs si nigrior, salacissima, cum calidiore principis visceris intemperie: curationem ne attingas, si ingenito vteri vitio
cõtrahatur, alioqui discrimen facies maius; idem esto iudicium si ab vtriusque naturâ simili an dissimili oriatur, frustrà enim cogites de vllâ me-
dendi ratione. Quę morbosum consequitur statũ ætatis decursu, loci, temporis, & victus mutatione curatur. Deniq; ad σύλληψιν (ex hydromel-
lis potu, lacte, mensium retentione, vrinis, ventris aut mammarum tumore nusquàm affirmandam) paruæ præstantiores maioribus, tenues
crassis, albę rubicundis, nigrę liuidis, iuniores adultioribus.

TEmpus non leuis ad concipiendum momenti, quippe plures post aliquot partus fiũt ἄφοροι καὶ ἄτοκοι propter δυστοκίας, ἐκτρωσμὸν, molã, naturã debilẽ,
fœtus extinctionem: aliæ si morbo affectæ deuirginẽtur cacochymia rapitur ad vterum, vndè diuturnorum affectuum fœtura & ilias: si imma-
turæ, remanet vteri imbecillitas vel eiusdem vitiata conformatio. Contrà adultiores factę virgines nusquàm aut ægrè concipiunt. Quid ita? Vasa
crassiori infarcta succo veluti occludũtur, nec stillat amica illa συρροὴ quâ debita partiũ τύπωσις effingatur, vterus mutatâ tẽperie κακοήθως induratur,
suo defraudatus genio torpet, exarescit, menses supprimũtur, vel ἀτάκτως mouẽtur, diuturnâ retentione putrescit semen, suâ labe masculinum
inficit, neutrúmque pariter vtero effœto & languido ἠδελφισμένῳ, vndè vix optata exurgit κύησις.

Ergo Adultiori virgini δυσκύημα. 44

Asserebat ANTHONIVS ROBIN Diuionensis Anno R. S. H. M. D C. XX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Joannes Merlet.	*M. Joannes Tournier.*	*M. Ioannes Akakia M.R. Decanus.*
M. Gabriel Harduinus de S. Jacques.	*M. Jacobus Perreau.*	*M. Gaspar Brayer M.R.*
M. Michael de la Vigne.	*M. Franciscus Lespicier.*	*M. Nicolaus Henault.*

